

Bibliothèque numérique

medic@

**Leger, Nicolas - candidat / Mertrud,
Jean-Claude - président. - [De humeri
fracturâ simplici]**

1761.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Academiae Regii
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobeâ, sub signo Olivae.
Cote : ms 2342, n°81***



D. O. M.

T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



U T carnearum partium, sic & ossæarum vitium non est unicum : ossa mollescere, tumoribus affici, incurvari, oblita prioris formæ, sùs dèque turpiter & ridiculè, in insuetas mille figuras contorqueri notum est ; sunt enim multæ causæ quæ valent mutare indolem liquidi ossa permeantis ; hi sunt ossium hospites inimici : sed utinam soli ! quot malorum catervis libera foret humana gens, si ab extraneis nihil timendum haberet ! quot sunt corpora dura aut contundentia, tot solutæ cohæsionis causæ. Possunt igitur ossa rumpi transversa, secundum longitudinem fissa dehiscere, directè aut obliquè cædi, dissilire in fragmenta, collidi, deprimi, contundi, &c. his tot malis obviam ire vetant præscriptæ limites ; de Humeri fracturâ simplici, præmissis quibusdam Anatomicis compendiosè agemus.

CONSUETA est Corporis humani divisio in truncum & artus, artuum verò in superiores & inferiores ; omissis trunco & extremitatibus inferioribus, nobis occurrunt superiores quæ Brachia dicuntur : multiplex porro Brachii significatio, scilicet : quatenus à summo Humero

A



ad extremam usque manum, seu digitorum excurrit apices (a) vel accipitur pro eâ parte quæ inter Cubitum summamque manum media est. (b) Rectius Brachium dicitur pars ea quæ scapulam & Cubiti flexuram intercedit. Constat autem extremitas superior scapulâ & claviculâ (quatenus Humerum ὀμὸν græcis, constituunt) Brachio, ulnâ & manu. Brachium componitur unico osse Humero dicto; Cubitus & Radius ulnam efformant; manus in Carpum, Metacarpum & digitos distinguenda venit.

Os Humeri, ὀμὸν græcis, aliis ὀμὸν, longum est, inæqualiter triangulare; dividitur in corpus seu διαφύσιον & extremitates five ἐπιφύσεις sic dictas quia quasi additamenta sunt & in junioribus faciliè à corpore dimoventur.

CORPUS Humeri est inæqualiter triangulare, subrotundum superius ubi eminet duabus striaturis sinuositate intercipientibus; harum interna, tuberositati minori, impressione musculosâ, respondet; altera elongatur ad tuberositatem majorem tribus donatam vestigiis musculosis, superiore scilicet, medio & inferiore quod posterius dicitur: has infra tuberositates reperitur depressio quæ collum audit; supra verò eminet caput ad interiora nutans & circa quod occurrunt asperitates quibus inferuntur membrana & ligamentum capsulare dictum. Parti mediæ & superiori Humeri occurrunt striaturæ & loca hirsuta totidem musculorum insertiones: inferior hujus ossis pars triangularis apparet cujus anguli laterales desinunt in Condylus internum scilicet & externum. Condylus internus præminetior externò videtur & ipsius tuberositas, quatuor circiter digitis versùs mediam ossis partem, foramine donatur tuto arteriæ medullaris itinere. Anterior posteriorque hujus ossis facies convexæ abeunt in duas foveas anteriorem scilicet & posteriorem, in extensione & flexione Cubiti, duos ulnæ processus alternatim excipientes.

INARTICULATUR Humerus superius scapulæ, per eam diarthroseos speciem quæ enarthrosis dicitur: hæc articulatione ad omnes motus, in scapulæ cavitate, quæ multâ amplificatur cartilagine validisque firmatur ligamentis, circumverti potest. Ima porro Humeri pars tres veluti processus distinctos & inæquales habet, duos verò sinus ita ut trochlearum formam effingant: undè & trochlea dicitur cui ulna perginglymum unitur & motu recto duntaxat movetur. Connectitur præterea Humerus cum radio per diarthrosin sed superficiariam quâ radius, ulnâ quiescente, in pronum supinum que agitur.

FRACTURÆ nomine intelligenda venit omnis solutio continui in osse, ab instrumento contundente: cum autem Humerus sit os longum, in

(a) Veteres Brachium vocârunt partem Brachii inferiorem: Aristotel. I. Hystor. anim. Cap. 15. Galen. in 1. Hypocr. de articul. Cels. ait Brachium constare ex Cubiti osse ac radii. Lib. VIII. Cap. 1.

(b) Paaw, de Ossibus pag. 150.

3

tres partes divisum, triplex emergit Humeri fractura, scilicet : quæ sit in medio osse, propè caput vel in condylorum vicinio. De fracturâ Corporis Humeri dicturis, hanc in simplicem, compositam & complicatam dividere sufficiat.

SIMPLEX nuncupatur Humeri fractura quando in unicâ ossis parte reperitur, nec ullus adest coalitionis obex : si in duabus partibus dirumpatur os, composita dicitur ; si verò contusione majori, luxatione, hæmorrhagiâ, aliisvè fiat accidentibus obnoxia, complicata audit.

Visu, tactu & crepitatione ut plurimum dignoscitur Humeri fractura.

PROGNOSIS pro variâ specie differt ; complicata enim compositâ deterior ; hæc simplici pejor : desumitur quoque prognosis ab Humoribus crasi (a) duratione fracturæ, tempore anni, (b) loco ossis læsi, &c. (c)

TRIBUS præsertim mediis perficitur Humeri fracti curatio : scilicet 1°. repositione partium in situm naturalem, 2°. retentione partium in juxta-positione firmatarum 3°. unitarum retenturarumque consolidatione enato callo.

REPOSITIO partium in situm naturalem triplici memento peragitur ; extensione, contra-extensione & coadunatione.

EXTENSIO & contra-extensio quàm aptissimè fient si, ægro in altiori sede collocato, brachium supremum firmiter comprehendat minister unus ; alter verò, apprehensâ quæ reperitur infrâ fracturam parte, brachium rectâ trahat atque extendat, ambo in opposita tendentes ; tunc Chirurgus diffractam partem manibus amplectitur, & fragmenta in suas sedes reponit.

PARTIUM in juxta-positione retentio fit mediastibus spleniis, fœculis, fasciis, &c. quæ nomine deligationis fracturæ Humeri intelliguntur, in fracturâ simplici aut compositâ : fit autem hæc deligatio sequenti ordine scilicet : splenium semi-ulnâ longum, quatuor digitis latum & in quatuor capita fissum, vino calido & spiritu-vini, aliore liquore madidum parti fractæ itâ imponitur ut quatuor capita sese invicem adhæquatè comprehendant ; deindè fascia sex ulnas longa, tribus digitis lata, in ipso loco fracturæ ter circumducitur & per ductus spirales obtusos, gallicè, *doloires*, ad Humeri caput ascendit & per similes ductus descendit ad inferiorem hujus ossis partem ; in itinere,

(a) Vidit Celeberrim. Wanswieten mulierem cui os humeri fractum fuit & postea restitutum ex arte, sed nunquam coaluit, licet in flore ætatis esset. tom. I. Commentar. in Boerrhaav. Aphorif. pag. 522. Tales casus memorant Ruischius adversar. Anatom. Decad. 2. n°. 11. pag. 6. & Observ. Anatom. Chirurg. Obs. IV. pag. 8. Observavit Hildanus, in gravidis, difficiliorem fieri ossium fracturum consolidationem Cent. V. Obs. LXXXVII. pag. 484.

(b) Monet Hypocrates Calidum ossium fracturis plurimum conferre. Aphor. Sect. V. n°. XXII.

(c) Cels. Lib. VIII. Medecin. Cap. X. pag. 536.

triplex rursus circularis ductus loco fracto instituitur : mox quatuor ferulis chartis vè crassioribus octo digitis longis , uno pollice latis , spleniis involutis & liquoribus suprâ laudatis madentibus, in quatuor Brachii facies impositis, fascia denuo per ductus spirales, à condylis Humeri ad fracturam ascendit, factoque rursus circulari ductu triplici, ad caput ossis ascendit, rursusque descendit infrâ cubiti flexuram quam, impositis quibusdam spleniis, ita ambit ut articulatio à fasciâ libera maneat faciliior que fiat cubiti flexura. Tunc ductibus spirilibus rarioribus magisque ab invicem remotis, ascendentibus & descendentibus, pro ut datur fasciæ longitudo, firmatur impositoque suspensorio gallis *échappe* perficitur deligatio. Fasciam octodecim capitum in fracturâ complicatâ utpotè faciliorem & accidentibus accommodatiorem arbitramur.

CONSOLIDATIO fragmentorum in debitâ positione firmatorum nullo artis molimini debetur ; fit enim verâ unionem substantiæ, eodem modo ac in vulneribus partium mollium deperdita regenerantur ; undè liquet solam Corporis humani fabricam totum hoc opus absolvere, dum bonæ indolis liquida, per vasa proportionalia, apto impetu & debitâ copiâ ad locum læsum feruntur, (a) in eo duntaxat versatur ars, ut venæ sectionibus plûs minûsvè repetitis, fotibus emollientibus, resolventibus, aliisvè juxta varias indicationes, idoneâ que tùm medicamentorum tùm victûs ratione, mutetur humorum perversa crasis, naturaque opis suæ dives, possit muneribus suis opportunè & placidè potiri : ipsa enim suæ conservationi indefinenter invigilat.

(a) Wanswieten, tom. I, pag. 524.

De Jure

Has Theses ; DEO DUCE, & Præsidi M. JOANNE-CLAUDIO MERTRUD, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur NICOLAUS LEGER, Trecensis, Artium Liberalium Magister.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
Die Sabbati 24^a Octobris à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam. Anno R. S. H. 1761.
PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobcâ, sub signo Olivæ, 1761.